

303. *Præsertim, si in electione non sit necesse servare formam, c. Quia propter.* — Resp. II. Loquendo de tali electione, in qua non est necesse servare formam in cit. *c. Quia propter*, h. t. præscriptam, ut est electio alicujus in canonicum, quamvis publicato scrutinio non possint variare electores, si quis, cæteroquin habilis, in scrutinio reportavit vota majora: si tamen prius nemo habuit vota sufficientia, valet tunc accessus minoris partis ad majorem, vel æqualis ad æqualem, etiam publicato scrutinio. Prior pars est Abbatis in *c. Publicato*, n. 4, h. t. ac sequitur ex dictis n. 290, et seqq. Nam talis variatio post publicatum jam scrutinium cederet in præjudicium nominati, ac in ejus infamiam et confusionem.

304. *Præsertim, si in electione non sit necesse servare formam, c. Quia propter.* — Altera pars est Glossæ in *c. Cum in jure*, 33, vers. *Consentiat*, h. t. quam sequitur Abbas, loc. cit. n. 7, sic loquens: « Et ex hoc infertur secundum doctores, quod publicato scrutinio possit minor pars accedere ad majorem: quia ex votis minoris partis non potest sequi electio, et nullum jus est acquisitum nominato: pro hoc facit notabilis Glossa *c. Cum in jure*, eod. » Hæc ille. Quod ipsum tradit Joan. de Selva, tom. XV. *Tractatum*, tract. *De Beneficio*, part. III, quæst. 1, n. 25; Layman in *c. Quia propter*, n. 40, h. t. post Sylvestrum, vers. *Electio*, 2, quæst. 7; Pirhing h. t. n. 176, citans insuper Tholosanum, cap. xvi, *de Elect.* n. 15, et Engel, eod. n. 40. Licet enim nonnulli horum auctorum videantur absolute loqui, sicque accessum minoris partis ad majorem admittere etiam in casu prioris conclusionis; nihilominus ipsi benigne videntur interpretandi, sicut et ipsemet Abbas.

305. *Probatur, tunc valere talem accessum publicato scrutinio.* — Ratio autem hujus partis est: quia, præterquam quod ex votis minoris partis non possit sequi electio, simulque nullum jus sit acquisitum nominato; rigor *c. Quia propter*, h. t. respectu talium electionum non obligat; sed sufficit ut quomodocumque vocales collegialiter congregati quempiam cæteroquin habilis eligant, juxta dicta superius, num. 112. Ergo nihil prohibet, quominus eligentes consensum suum præstent per accessum minoris partis ad majorem: non enim hi necessario eligunt per vota secrete et singillatim præstita in scrutinio, prout accidit in Ecclesiis viduatis.

Et per hoc patet manifesta disparitas inter casum hujus, et præcedentis conclusionis, simulque ratio diversæ hinc inde resolutionis.

306. *Afferuntur, et solvuntur contraria.* — Nec hisce dictis obstat cit. *c. Publicato*, h. t. Resp. enim textum illius capituli loqui imprimis de electione, juxta formam concilii generalis in *c. Quia propter*, h. t. præscriptam, celebranda, ut notat Joan. Andreas ibid. et Abbas n. 4, atque colligitur ex littera, dum facit mentionem de collatione, et communi electione subsequenti: sicque non urget de electione, quæ non necessario fit juxta dictam formam. Deinde Decretalis illa loquitur de tali scrutinio jam publicato, ex quo potest sequi solemniter electio; ut patet ex verbis n. 290, relatis, ibi: « *Cum sit electio celebranda,* » quia tunc nominato jus jam est acquisitum. Secus autem in nostro casu, ubi nemini est jus quæsitum, nec ex tali scrutinio potest celebrari solemniter electio; et sic cessat hic ratio illius Decretalis.

307. *Afferuntur, et solvuntur contraria.* — Nec obstat ulterius *c. Auditis*, 29, h. t. ubi irrita declaratur electio facta a minori parte capituli non obstante, quod alii ex post facto ad eam accesserint: « *Cum ex post facto* (inquit Pontifex) nequiverit convalescere, quod ab initio non valebat: quoniam electio, quæ fuerat irrita ipso jure, per subsequentem consensum non poterat esse rata; » ergo idem dicendum in proposito. Resp. enim cum Laymano in cit. *c. Auditis*, n. 2, ideo dictam electionem non valuisse, quia accessus votorum aliorum primum factus est post publicatum electionis decretum; ut patet ex allegatis verbis. Secus fit in nostro casu, ubi accessus supponitur fieri ante publicatum electionis decretum, etsi post publicatum scrutinium.

308. *Afferuntur, et solvuntur contraria.* — Neque etiam obstat textus in *c. Electionibus*, 2, h. t. in 6, ubi expresse « in electionibus reprobatur, et pro non adjectis habentur vota conditionalia, alternativa, vel incerta; » inter quæ, juxta Glossam ibidem, est istud: « *Eligo*, quem archidiaconus eliget. » Atqui (inquit) accessus fit per talia vota, quæ omnino sunt incerta; cum accedentes majori parti ignorent, cui dent votum, imo sic votare videantur: « *Eligo illum*, quem major pars elegerit: » quæ est ipsissima formula eligendi, quam citata Glossa rejicit: ergo. Resp. enim neg. min. Nam ac-

cedentes, seu eligentes eum, quem jam plures nominarunt, neque dant votum conditionatum, neque incertum; cum eligant absolute certam personam, videlicet eam, quæ in scrutinio plura vota reportavit, quamque, utpote a pluribus jam nominatam, rationabiliter præsumunt, ac judicant esse dignam et habilem. Aliud dicendum de formula per Glossam relata: nam, cum ea suspendat electionem pro futuro, donec videlicet quempiam archidiaconus sit electurus, reddit suffragium incertum, sicque invalidum.

309. *Afferuntur, et solvuntur contraria.* — Nec tandem obstat *c. Si cui*, 23, h. t. in 6, ubi reprobatur electio a compromissario secundum traditam formam facta de eo, in quem non major pars capituli, sed plures aliorum comparatione consenserunt. Resp. enim, hinc nihil sequi contra conclusionem num. 303, positum: quia in nostro casu eligendus nominatur a majori parte capituli, per accessum tamen, dum pauciores variant mutando suum suffragium, et accedunt pluribus. Hoc autem in dicto casu non accidit, ubi compromissarii jubentur eligere eum, in quem non major pars capituli, sed solum plures comparatione aliorum consenserunt. Quinimo hoc pugnat contra cap. 1. *De his, quæ fiunt a majori part. capit.* et econtra *c. Quia propter*, h. t. cum similibus.

## § XIII.

## DE PRÆSENTATIONE ELECTIONIS, ET CONSENSU ELECTI IN EAM, HUIUSQUE CONFIRMATIONE, ET APPELLATIONE AB IPSA.

310. *Electores tenentur electo præsentare electionem, ejusque consensum requirere, quam citius commode possunt.* — Quæritur I. Quo tempore, et sub quibus pœnis, electio sit intimanda electo, ejusque consensus petendus? Resp. I. Post celebratam electionem capitularem tenentur electores, quam citius commode poterunt, electionem ipsam præsentare electo, ejusque consensum requirere. Ita habetur expresse decisum in *c. Quam sit*, 6, *de Election.* in 6. Ubi Glossa, § *Quam citius* censet hoc esse dijudicandum ad arbitrium boni viri, cum certum tempus lege, vel canone non sit determinatum. Cæterum electio, antequam pro confirmatione deferatur superiori, est præsentanda electo, ejusque requirendus consensus, ut appareat, an consentire velit, nec ne?

311. *Et si neglexerint infra octo dies id facere, puniuntur; et quomodo?* — Resp. II. Quod si eligentes electiones ipsas, concorditer, vel in discordia celebratas, infra octo dies, postquam commode poterunt, electis præsentare distulerint; tunc ipsi, qui culpabiles in hoc extiterunt, non solum quoad se a processu prosecutione totaliter excluduntur; sed insuper ab omnibus beneficiis, quæ in ipsa Ecclesia, de cujus electione agitur, obtinent, per triennium continuum, ex tunc infrachandum, eo ipso sunt suspensi: ad quæ, si infra illud tempus se propria temeritate, vel alio quæsito colore ingesserint, illis textus jure perpetuo sunt privati. Ita habet textus expressus in *c. Cupientes*, 16, § *Cæterum*, h. t. in 6, et amplius declarat Glossa ibidem, explicando præcipuas clausulas.

312. *Eorum tamen negligentia non præjudicat electo.* — Solum adde, quod si eligentes fuerint negligentes in præsentando electionem, ipsi quidem puniantur modo præfato, nihilominus per hoc non noceant electo; prout habetur expressum in d. § *Cæterum*, ad finem. Et ratio est: quia non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri, l. *Non debet*, ff. *de Reg. jur.*; sive, ut habet reg. 22 juris, in 6, non debet aliquis alterius odio prægravari; cum peccata suos auctores tenere debeant, *c. Si Compromissarius*, *d. Electione*, in 6, cum similibus.

313. *Electus tenetur præstare consensum intra mensem, alioquin perdit jus suum.* — Quæritur II. Infra quod tempus teneatur electus consentire electioni de se factæ, et quid de religioso extra monasterium electo? Resp. I. Electus, si electioni de se factæ consentire velit, tenetur præstare consensum infra mensem: alioquin, si eum ultra præstare distulerit, jure, si quod ei ex sua electione fuerat acquisitum, ex tunc eo ipso privatus existit. Ita communis; atque, ad præcavendum dispendiosis Ecclesiarum vacationibus, habetur decisum in d. *c. Quam sit de Election.* in 6. Quamquam Glossa ibid. § *Distulerit*, hoc intelligendum censeat de eo, qui per negligentiam (qualem ly *distulerit* denotat) ac cessante justa causa, sive impedimento, intra mensem non consentit: alias secus, ut illico dicetur de regularibus.

314. *Quid juris, si electus nequeat consentire absque superioris sui licentia.* — Resp. II. Quod si talis persona fuerit electa, quæ electioni de se factæ absque superioris sui licentia consentire nequit (ut fit in regularibus extra

uum monasterium electis; aut si Papa cupiam prohibet, ne consentiat electioni) tunc idem electus, vel, quod melius est, atque ab ambitionis suspicione magis alienum, electores ipsius consentiendi licentiam ab ejus superiore, quam citius fieri potest, petere, atque obtinere tenentur: alioquin si hujusmodi licentiam intra tempus pro ejusmodi superioris presentia, vel absentia computandum, nequaquam obtineant, electus hoc ipso privatus existit jure sibi ex electione quaesito, et possunt ex tunc electores ad electionem aliam libere procedere. Ita constat tum ex cit. c. *Quam sit*, h. t. in 6, tum amplius ex Extravag. *Si Religiosus*, h. t. inter *Communes*. Et hoc adeo verum est, ut si electores post subtractum praedictum tempus, et non secutam dictam licentiam superioris electi, intra trimestre, vel semestre, ad aliam electionem procedere neglexerint, ipsi ex tunc pro ea vice eligendi potestate sint privati, c. *Ne pro defectu*, 41, h. t.; Layman, c. *Quam sit*, n. 3, h. t. n. 6, et alii.

315. *Religiosi nequeunt consentire electioni de se facta extra monasterium, absque obtenta licentia sui superioris.* — Notandum est primo, quod nullus religiosus, absque petita et obtenta licentia sui superioris, possit consentire electioni de se ad praelationem aliquam extra suum monasterium, vel Ecclesiam celebratae, cum velle, vel nolle non habeat: et, si secus consentire praesumpserit, consensus sic praestitus non solum non teneat, sed etiam in poenam praesumptionis illius, electio eadem ipso facto viribus vacuetur omnino. Textus est in c. *Si Religiosus*, 27, h. t. in 6.

316. *Nec valet superioris licentia, ut religiosi possint consentire electioni primum faciendae.* — Additur notanter, « electioni de se celebratae. » Secus enim dicendum de eligendis primum: quia non valet licentia a superiore concessa suo religioso, ut possit consentire electioni, si quam de ipso imposterum fieri contigerit, imo concessio talis licentiae, veluti viam parans vitio ambitionis, nullius existit firmitatis, text. clar. Clem. ult. h. t.

317. *Quid de religiosis electis in discordia?* — Notandum secundo, quod si fiat electio, postulatio, seu provisio de religiosis mendicantibus, ad aliquam praelaturam extra suum Ordinem in discordia (hoc est, si duae, vel plures celebratae sunt electiones, aut una tantum, contradicentibus tamen aliquibus, ad quos spectat electio, ut explicat Glossa in c. *Quorundam*, 24, vers. *In discordia*, h. t. in 6),

tunc haece religiosis ex electione sic in discordia celebrata nullum jus acquiritur, et ipsi de sui etiam superioris licentia eidem consentire non possunt. (ADNOTATIO XXXV.) Idemque dicendum de religiosis non mendicantibus, quando a minori parte vocalium eliguntur ad praelaturas quaslibet (sive proprii Ordinis, sive alterius, sive saecularium Ecclesiarum, juxta Glossam ibid. vers. *Quaslibet*); prout ad pracludendum ambitionis vitium, et alia gravissima incommoda praecavenda, expresse statutum legitur in cit. c. *Quorundam*, h. t. in 6. atque innovatur in Clem. *Quod circa*, eod. ubi istud tum in textu, tum in Glossa amplius declaratur.

318. *Alia consensum superioris concernentia breviter expediuntur.* — Notandum ulterius, quod, si licentia consentiendi electioni de se factae peti ac obtineri debeat a superiore, per superiorem tunc intelligatur immediatus superior. Layman, d. c. *Quam sit*, n. 4, h. t. in 6. Item, quod hujusmodi licentiam possit dare superior regularis irrequisitis suis conventionalibus: ut c. *Si Religiosus*, 27, h. t. Item, quod in tali casu electus post licentiam consentiendi a suo superiore impetratam, habeat adhuc integrum mensem, seu triginta dies, ad deliberandum, an velit acceptare praelaturam; arg. cit. c. *Quam sit*, ac notat ibidem Glossa vers. *Conditio*; Layman, n. 5. citans insuper Joan. monachum n. 8 vers. *Sed obtenta*; Pirhing, h. t. n. 258 et alii. Ratio est: quia tempus a jure statutum non currit legitime impedito; ut c. *Quia diversitatem*, 5, de *Concession. praebend.*, junctis concordantiis ibidem a Glossa finali adductis.

319. *Electus post datum consensum, tenetur petere confirmationem suae electionis intra trimestre.* — Quæritur III. Intra quod tempus et a quo petenda sit confirmatio electionis? Resp. I. Quilibet electus infra tres menses post consensum electioni de se celebratae praestitum, confirmationem ipsius electionis petere tenetur: quod si justo impedimento cessante infra hujusmodi trimestre omiserit, electio eadem eo ipso viribus vacuetur. Ita habetur statutum in cit. c. *Quam sit*, § fin. h. t. in 6. Ubi Glossa vers. *Vacuetur*, inquit, quod canon iste si latae sententiae, non ferenda, cum dicat littera, « eo ipso viribus vacuetur: » ac proinde, si electus post trimestre primum petat confirmationem, atque obtineat, per hanc non convalescat electio, utpote quae jam erat nulla, et ipso facto viribus evacuata: nisi forsitan confirmatio scien-

ter fuisset facta per illum, qui alias suo jure conferre potuisset.

320. *Et intra mensem arripere ad Sedem Apostolicam si ad hanc spectet confirmatio.* — Verum circa hanc conclusionem est notanda decretalis Nicolai III. quae refertur in c. *Cupientes* 16, h. t. in 6, ubi imprimis confirmantur dicta in cit. c. *Quam sit*, eod. in 6. Deinde loquendo de electionibus cathedralium, et regularium Ecclesiarum, quarum confirmatio, vel infirmatio, ad Sedem apostolicam examen immediate pertinet, specialiter statuitur, quod sic electi infra unum mensem post consensum, vel post obtentam de ipsorum electione notitiam (si hæc debito tempore non fuerit praesentata) ad ipsam Sedem iter arripere, et ad petendam suarum electionum confirmationem cum omnibus actis, juribus, et munimentis suis, quam cito commode poterunt, comparere personaliter teneantur, vel saltem per procuratorem sufficienter instructum, si ipsimet electi ex justa causa personaliter comparere non possint: prout tum in cit. c. *Cupientes*, tum Clem. *Ne Romani*, § fin. h. t. latius habetur.

321. *Spectatio jure communi confirmatio electionis spectat ad immediatum superiorem.* — Resp. II. Spectato juri communi, confirmatio electionis petenda, et danda est a proximo seu immediato superiore, cui Ecclesia, seu dignitas electiva est subjecta; puta, confirmatio abbas non exempti ab episcopo, episcopi ab archiepiscopo, et sic gradatim ascendendo. Ita Hostiensis in *Summa, de Electione*, n. 27; Passerinus, cap. xxxiii. de *Elect.* n. 68; Pirhing h. t. n. 305; Engel, n. 50, et alii. Idque desumitur, ex c. *Cum monasterium*, 13, h. t. et can. *Nullus omnino*, 16, q. 7, ubi episcopus confirmat abbates, praepositos, decanos, ac hujusmodi. Item ex c. *Cum dilectus*, 32, et c. *Cum inter canonicos*, 21, h. t. et can. *Illud*, dist. 64, ubi archiepiscopus confirmat episcopum, cum similibus. Et quidem, quod talis superior teneatur confirmare electionem inferioris, ceteroquin canonice factam, jam dictum est supra § 2, n. 26.

322. *Iamen per concordata Germaniae confirmatio episcopi reservatur Summo Pontifici.* — Hodie tamen quoad nostras partes per concordata Germaniae, quae inter Nicolaum papam V. et Fridericum imperatorem an. 1447 erecta fuere (ac referuntur tom. I *Bullarii Romani*, constit. i. dicti Pontificis) confirmatio episcoporum indistincte Summo Pontifici reservatur. (ADNOTATIO XXXVI.)

323. *Quae sint observanda ante confirmationem concedendam? Confirmanti incumbit qualitates electi, atque processum electionis antea diligenter explorare.* — Quæritur IV. Quanam sint observanda ante confirmationem electionis concedendam? Resp. I. Confirmanti incumbit, ut personam, qualitates, moresque electi et processum seu validitatem electionis prius diligenter exploret. Ita habetur in c. *Nihil est*, 44, h. t. Idque exigit bonum Ecclesiarum, ne alioquin inidoneus, aut non canonice electus confirmetur. Idemque praecipit observandum illud Apostoli I *Timoth.* v. 22, *Mans cito nemini imposueris*: atque notatur in c. *Cum nobis*, 19, h. t. ubi idcirco Pontifex observat, quod ad confirmatorem ex officio spectet, praeter processum electionis, super persona et qualitatibus electi (de quibus hactenus abunde dictum) inquirere, etiam neminem opponente: prout ibidem loquitur Summarium.

324. *Quid agendum, si electus habeat, vel non habeat suae electionis adversarium.* — Resp. II. Si electos coelectam, aut aliam electionis suae adversarium habeat, is ante confirmationem nominatim vocabitur: alias vero generale edictum in Ecclesia, in qua electio celebrata est, proponendum erit, quo contradicentes, si qui adsint, moneantur, et evocentur, assignato termino peremptorio competenti; et hac observatione omissa, confirmatio irrita censi debet. Ita ad pracludendas nonnullorum fraudes habetur statutum in cap. ult. h. t. in 6.

225. *Quae sit forma appellandi ab electione?* — Quæritur V. Quae sit forma appellandi ab electione? Resp. Ut malitiam hominum via pracludatur, et ne diutius vacent Ecclesiae, sequentia circa formam appellandi ab electionibus, postulationibus, et provisionibus ecclesiasticis, salubriter statuta fuerunt in concilio generali Lugdunensi, sub Gregorio X celebrato, ac referuntur in c. *Ut circa*, 4, h. t. in 6. sequentibus verbis: « Edicto perpetuo providemus, ut si quando aliqui electionibus, postulationibus, vel provisionibus se opponunt, proponendo aliqua contra electionis, postulationis, seu provisionis formam, aut personas eligentium, vel electi, sive illius, cui erat provisio faciendae, sive factae; et propter hoc contigerit appellari, appellantes in instrumento publico, seu litteris super appellatione confectis, omnia et singula expriment, quae in formam intendunt obijcere, vel personas. Coram personis authenticis, aut

persona, quæ super hoc testimonium perhibeant veritati, corporali præstito juramento quot credunt ea, quæ sic exprimunt, esse vera, et se posse probare. Alioquin tam opposentes, quam adhaerentes eisdem, objiciendi aliqua, quæ non fuerint in hujusmodi litteris, vel instrumentis expressa, potestatem sibi noverint interdictam: nisi aliquid postea primum emerit, vel super antiquis supervenerit probandi facultas, » etc. Hæc ibi. Insuper nonnulla alia, circa processum appellationis ab electione observanda, statuuntur in cap. i. h. t. in 6. quæ ac etiam in c. *Cupientes*, 16. eod. in 6. cum sint longiora, simulque in fonte locis præallegatis legi possint, haud immerito hic præmittuntur.

326. *Pænæ appellantium ad Sedem Apostolicam, et in probatione deficientium, si quid opposuerunt contra formam electionis.* — Quæritur VI. Quæ sint pænæ statutæ contra eos, qui, appellantes ab electione, deficiunt in probatione eorum, quæ objecerant? Resp. hic esse distinguendum juxta d. cap. i. § *Adjicientes*, h. t. in 6. quod innovatur in cit. c. *Ut circa* § fin. eod. in 6. circa pænâs, quæ ibidem imponuntur illis, qui factam electionem, postulationem, vel provisionem circa dignitates, personatus, vel canonicatus factam (de quibus solis textus loquitur, non vero de inferioribus beneficiis) calumniose impugnant, ab eaque ad Sedem apostolicam appellando objiciunt quidpiam contra formam, vel personam, et postmodum in probatione deficiunt. Et si quidem talis appellans plene non probaverit, quod contra formam opposuit, objiciendo v. g. quod electio fuerit facta contra formam in Decretali *Quia propter*, 42. h. t. præscriptam: tunc is condemnatur in expensis, quas propter hoc altera pars fecisse docuerit.

327. *Vel contra personam electi.* — Si vero, quod gravius est, appellans quidpiam objecerit in personam, ut puta crimen, irregularitatem, vel alium defectum (nam textus generaliter loquitur) atque in ejus probatione defecerit, tunc is adhuc durius punitur: nam ipso facto a beneficiis ecclesiasticis, quæ in illa Ecclesia obtinet, triennio est suspensus: adeo quidem, ut si infra illud tempus propria temeritate sese ingesserit, eis ipso jure, et absque ulla spe misericordiæ consequendæ, perpetuo sit privatus: nisi manifestissimis constiterit documentis, quod ipsum a calumniæ vitio causa probabilis et sufficiens excusaret; prout in cit. cap. i. h. t. in 6. statuisse

legitur concilium generale Lugdunense, atque amplius declarat Glossa ibidem.

## § XIV.

## SPECIALIA DE ELECTIONIBUS REGULARIUM.

328. *Textus concilii Tridentini circa electiones superiorum regularium.* — Circa præsentem materiam est præmittendum novum decretum concilii Tridentini, sess. 25, cap. ix. *de Regularib.* statuens de electionibus superiorum regularium, in hæc verba: « In electione superiorum quorumcumque abbatum temporalium, et aliorum officialium, ac generalium, et abbatissarum, atque aliarum præpositorum, quo omnia recte, et sine ulla fraude fiant, imprimis sancta synodus districtè præcipit, omnes supra dictos eligi debere per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Nec imposterum liceat provinciales, aut abbates, et priores, aut alios quoscumque titulares ad effectum electionis faciendæ constituere, aut voces et suffragia absentium supplere. Si vero contra hujus decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit. » Hæc ibi. Occasione cujus quærendum est

329. *An quoad has per Tridentinum sit abrogata Decretalis Quia propter, h. t. Rationes sententiæ affirmatiæ.* — Quæritur I. An per hoc decretum concilii Tridentini sit abrogata Decretalis, *Quia propter*, 42. h. t. quoad electiones regularium? Resp. Circa propositum dubium variant doctores. Et quidem Fagnanus in cit. c. *Quia propter*, h. t. n. 21. et seqq. asserit scrutinii formam in dicta Decretali præscriptam esse omnino incompatibilem cum forma concilii Tridentini; nam in illa (inquit) sunt assumendi tres scrutatores, qui vota eligentium ore proprio exquirant; simulque vota eligentium sunt in scriptis redigenda, et publicanda in communi. Atqui secundum formam concilii Tridentini, hæc non possunt observari; cum vota debeant esse secreta, et singulorum eligentium nomina nunquam sint publicanda, idque necesse sit observare sub nullitate actus electionis. Accedit quod juxta formam in d. c. *Quia propter*, præscriptam sit eligendus ille, in quem major et sanior pars capituli consensit: adeoque opus est non solum collatione numeri ad numerum, sed etiam zeli ad zelum: ut c. *In Genesi*, 53. et c. *Ecclesia vestra*, 57. h. t. Secus est in electione regularium, juxta Clem.

*Exivi* § *Demum quia, de Verb. signif.* Et huic sententiæ favet etiam Hyacinth. Donatus, tom. II *Rerum regularium*. tract. i, q. 5.

330. *Præfertur sententiæ negativa, asserens ambas illas formas esse compatibles.* — Alii contra, ut Suarez, tom. IV, *de Religione*, lib. II, cap. v, n. 9, et Ascanius Tamburinus, tom. I, *de Jure abbatum*, disp. 5, quæst. 6, n. 10, volunt, ambas has formas esse compatibles. Id ipsum tenet Emmanuel Rodericus, tom. II, *Quest. regul.* q. 52. art. 9; Garcias, part. V, *de Beneficiis*. cap. iv, n. 186, et seqq.; Barbosa, lib. I, *Juris Eccles. univ.* cap. xix, n. 221, et seqq. et Passerinus, cap. xvii, *de Electione*, n. 5, citans alios, et pro hac sententiæ allegans Rotam in Meten. monasterii coram Coccino, 5 junii 1621, in fin. Ratio est: quia, licet juxta concilium Trident. loc. cit. singulorum eligentium nomina nunquam sint publicanda, oppositum tamen hujus in cit. c. *Quia propter*. h. t. fieri non præcipitur. Etsi enim juxta illud sint publicanda vota in communi, non tamen nomina eligentium publicari præcipiuntur: sicut et ordinarie horum nomina non publicantur, sed solum vota, ut liquet ex formula electionis quam refert Zerola in *Praxi episcopali*, part. I, vers. *Electio*, ad finem. Unde ex hoc capite formæ illæ eligendi non sunt incompatibiles.

331. *Vota eligentium debent esse secreta; et quomodo?* — Sed nec urget, quod juxta concilium Tridentinum vota debeant esse secreta. Resp. enim, sive electores in scriptis dent vota sua, sive eadem coram tribus scrutatoribus viva voce proferant (qui sunt duo modi eligendi juxta formam Decretalis, *Quia propter*, ut dictum num. 124.) adhuc vota censentur dari secreta, eo quod dentur in secreto, ac seorsim ab aliis, qui sunt de collegio, prout cit. n. 124. notatur. Et quidem, si vota dentur in scriptis, sive in schedulis, id clarum est: cum sic nec ipsi scrutatores sciant, a quo hoc, vel illud votum, datum fuerit.

332. *Censentur esse secreta, quamvis coram scrutatoribus proferantur viva voce.* — Cæterum, quod electio adhuc censeatur fieri per vota secreta, licet singuli eligentes vota sua proferant viva voce coram tribus scrutatoribus, desumitur ex cit. c. *Quia propter*, ubi jubentur scrutatores vota cunctorum secreta, et singillatim inquirere, et tamen hæc coram ipsis viva voce proferri possunt; uti fatetur Fagnanus, loc. cit. n. 49, estque communis aliorum. Accedit expressa declaratio sacræ

Congregationis cardinalium concilii Trident. interpretum, qui censuerunt: « Si electi fuerint a superioribus aliqui, ut puta quatuor, qui vota omnium recipiant, electio reputabitur secreta, et canonica. » Ita refert Garcias, cit. cap. iv, n. 289; Tamburinus, d. n. 10.

333. *Prout liquet in electionibus abbatissarum.* — Huc facit instantia de abbatissis, et aliis præpositis monialium. Nam harum electio pariter debet fieri per vota secreta, ut liquet ex allegato decreto concilii Trident. et tamen possunt vota a monialibus eligentibus oretenus proferri, atque hæc ab episcopo, vel alio superiore ante cancellorum fenestrellam audiri; ut habet idem concilium Trid. cit. sess. 25, *de Regularib.*, cap. vii, atque sæpius eadem sacra Congregatio declaravit, prout refert Garcias, loc. cit., n. 190 et 191, solvens aliam declarationem, quæ videbatur prioribus obstare. Ex quibus omnibus clare patet electionem censi secretam, quamvis electores viva voce, et non per schedulas scriptas suffragia ferant; sicque ex hoc capite non dari incompatibilitatem inter formam eligendi juxta Decretalem *Quia propter*, et juxta allegatum decretum concilii Tridentini, dummodo nomina eligentium nunquam publicentur: quod sub nullitate actus hic præcipitur, ibi autem nec præcipitur, nec prohibetur.

334. *In electionibus, quando vota dantur per schedulas, an, et quomodo possit fieri collatio zeli ad zelum?* — Neque obstat ultimum, videlicet, quod ibi debeat fieri collatio zeli ad zelum; non item in electionibus regularium. Nam contra est: quia hoc ipsum urget in electionibus juxta c. *Quia propter*, h. t. per schedulas factis; cum etiam tunc scrutatores scire non possint, a quo hoc vel illud votum fuerit datum. Deinde, licet votis secreta per schedulas datis difficilius appareat, collationem aliquam zeli ad zelum fieri posse; nihilominus ea poterit fieri saltem generatim. Sic enim apparet electum ab altera parte esse aperte et notorie indignum, facile colligitur eum non esse electum a parte saniori, quamvis ea sit major. Idem est, si deprehendatur, quod ambitio electi, aut subornatio aliqua, vel corruptela munerum intervenerit: ut ait Wagnereck ad cit. *Quia propter*, vers. *Et quidem*. h. t.

335. *An in electione ministrorum provincialis Ordinis Minorum possit fieri aliqua collatio zeli, et meriti?* — Porro Clem. *Exivi* § *Demum quia*, specialiter loquitur de Ordine